



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Gordio Comite Ac Centurione Martyre Cæsareæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

DE SANCTIS MARTYRIBUS
MARTIALE, STATULIANO, CONSTANTIO,
POSSESSORE, HILARINO, FIRMO, CANDIDO,
ROGATIANO, EUGENIA, LUCIDA, ACUTA, POENICA, IN AFRICA.

III JAN.

De his Sanctis Martyribus Martyrologium S. Hieronymi: In Africa Martialis, Statuliani, Constanti, Possessoris, Hilarini, Firmi, Candidi, Rogatiani, Eugeniæ, Lucidæ, Acutæ, Po-

nicæ. Usuardi Martyrologium auctius editum Colonia: In Africa Martialis, Cyrici, Claudionis. De Claudione paulo inferius. Cyricus idem esse videtur, qui Cyrinus dicitur, cum Primo et Theogene passus.

DE S. GORDIO

COMITE AC CENTURIONE MARTYRE CÆSARÆ.

SUB LICINIO.

III JAN.

Martyrologium Romanum: Cæsareæ in Cappadocia S. Gordii Centurionis, de cujus laudibus extat præclara Basilii Magni oratio, in ejus die festo habita. Eadem fere Galesinius. Meminit et Molanus, ac Germanicum Martyrologium.

2 Menologium Græcorum hoc eodem die: Sancti Martyris Gordii ex Cæsarea Cappadociæ: qui cum Licinio Rege esset Comes, et militarem ordinem gereret, propter Christianæ fidei confessionem, nobile martyrium perpressus est: in cujus laudem habita insignis Basilii Magni extat oratio. Celebrant eum Menæa hoc proliziore elogio:

3 Hic Cappadox fuit, Cæsareæ natus, Licinio impeditante. Comes dignitate, centum militibus præfectus. Cum vero impiorum idololatrarum impudentiam et impias voces in Christum spargi solitas nec ferre nec videre posset, longius secessit, et inter feras vitam in montibus egit. Sed Christi ardore incensus, et adversus Paganorum errores animi robore armatus, e solitudine velut leo prosiliit, ut auctorem vanitatis quæreret et invaderet. Jamque in theatrum ingressus Christum publice Deum proclamavit, versoque toto in se spectaculo, ipsoque ludorum Præsidi ob libertatem in stuporem dato, adeoque in rabiem verso, ferro occubuit.

4 Surianam vitæ hujus editionem quibusdam locis ex P. Frontonis Duçei ac P. Andrea Scotti animadversionibus emendavimus.

DE S. GORDII LAUDIBUS

S. BASILII MAGNI ORATIO.

EXORDIUM.

Naturæ lex est apibus innata, fratres dilectissimi, ut nisi rex prius agmen præcedat, ab alvearibus nusquam discedant. Vos autem Dei populum, cum nunc primum ad Martyres, tamquam ad flores cælestes exeuntes, et huc frequentes convenire viderim, quo id duce feceritis exquiri. Quis ingentem hunc æstum excitavit? Quis hyemalem hanc tristitiam in vernam serenitatem commutavit, ut populus ex civitatis ædificiis, tamquam ex apum alvearibus, hilaris egressus, ad suburbanum decus præclarumque Martyris stadium conflueret? Quoniam igitur et nos, infirmitatis nostræ oblitos, celebritas

Frequentia populi excitat ad dicendum.

Martyris excitavit, age et ipsi quoque quantum voce contenderelicet, veluti bombantes apes, vernantibus floribus circumfusæ, præclara ipsius gesta persone-mus; rem quidem piam agentes, simul et gratam iis qui adsunt. Dum enim justus laudatur, populi lætiantur. Salomonis lectio nobis nuper recitata, quidnam per latentem hujuscemodi proverbii sensum sibi velit, mecum ipse cogitabam: an forte dicat, quod populus oratione magnifica ac plane culta rhetoris ejusdam potentis, quæ auditorum aures demulceat, oblectetur: præterea sermonis ornatum, rerumque inventionem ac dispositionem elegantem exoptet. Quod profecto mihi verisimile non videtur, cum ipse nusquam hujuscemodi dicendi genere usus fuisse inveniat. Nam et Sanctorum memorias orationis et eloquentiæ furore prosequi, non fas erat admonere, illi præsertim, cujus scripta sermone simplici, nulloque styli apparatu conspiciuntur.

Prov. 20.

2 Quis ergo illorum verborum sensus? Is videlicet, quod populus spirituali lætitia gaudet, si eorum tantum admoneatur, quæ justî patrarunt; atque inde ad æmulationem recte factorum ab iis, quæ audit, accenditur. Illorum enim, qui in fide claruerunt, historia simplex, velut lucem quamdam Dei cultoribus ad virtutis iter ostendit. Quamobrem cum in sacris voluminibus Moysis vitam, morumque lenitatem, nostræ naturæ magnopere optatam, narrante Spiritu sancto audimus, statim æmulamur. Quod si reliquorum facta virorum eloquentiæ floribus ornantur, Sanctis tantum ad ea, quæ maxima gessere, demonstranda, sat fuerit oratio simplex. Itaque dum vitam eorum, qui in pietate conversati sunt, exponimus, Dominum cum primis per servos suos glorificamus: deinde et justos ipsos testimonio eorum, quæ scimus, celebramus, et populum per auditum recte factorum exhilaramus. Joseph dum audimus aut legimus vitam, illius assequi castitatem magnopere cupimus. Si vero Samsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur. Sacra igitur schola præcepta rhetorum aut instituta non sequitur: nudam rerum expositionem pro encomiis habet, quam et Sanctis ac nobis satis esse existimat; illis quidem ad virtutis eorum præconium, nobis vero ad imitationis gloriam atque formam. Encimiorum namque lex est, patriæ dignitatem ostendere, generis originem ex alto repetere, educationis incunabula diligentius referre. Nostra vero lex præterita vicinorum mentione, ab iis quæ propria sunt unicuique, testimonium accipit. Quidnam ego sum melior,

Hæc gesta Sanctorum quo fructu commemorantur.

Præcepta rhetorum Christianis ubi negligenda.

melior, si mea civitas olim magna bella gessit, aut de hostibus triumphavit? Si eadem optimo sit in loco sita, aestate ac hyeme, cœlicę temperie fruatur? Si fertilis est viris gignendis, si ager pascendo pecori sufficiat, si meliores nutriat equorum greges, quam usquam reperiantur? Quid, inquam, ista? An ad virtutem commendatores nos reddere possunt? An vero si forte de vicini montis culminibus narraverimus, quo pacto nubes transcendant, et quam longissime in aerem porrigantur, nos ipsos decipiemus tamquam hominibus per hæc laudem tribuerimus? Ineptum insuper, si Sanctis, qui res orbis universas contempserunt, his esse opus commendationibus putamus.

Sanctorum memoriam, non illorum, sed nostri causa celebrandum.

3 Igitur nostri tantum causa profectus, sat fuerit illorum celebrare memoriam. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitę historia et commemoratione, imitationis gratia, indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor; sic e Sanctorum commemoratione gestorum, ad omnes provenit utilitas. Fuerit haud modici momenti, eorum quę olim gesta sunt veritatem exacte tenere. Nam obscura quedam fama, viri hujus præclara facta conservans, ad nos usque venit. Quamobrem pictoribus recte comparabimus. Illi enim cum ex imaginibus imagines depingunt, uti par est a prima forma plurimum recedunt. Nos item cum rerum gestarum ad spectu caruerimus, valde metiendum ne dicendo rerum veritatem atteramus. Verum quando ejus hodie festum celebramus, qui in hujuscemodi die certamen pro Christi nomine subiit, quantum ex ejus historiae notitia deprehendere licebit, enarrabimus.

NARRATIO.

§ I. S. Gordii patria, honores, vita solitaria.

S. Gordii patria Caesarea.

Fuit hic Martyr beatissimus civis noster Caesarensis: ex quo non mirum si nostrę mentis affectus ad eum potissimum dirigitur, quod profecto ad verum ac domesticum nobis facit ornamentum. Nam sicut arbores quę bona ferunt poma, proprię bonitatis laudem nutrienti tribuunt humo; sic iste ex nostrę urbis prodiens utero, ad summumque glorię culmen evectus, patrię, quę eum produxit atque aluit, domesticorum pietatis fructuum jucunditatem largitus est. Boni sunt quidem et externi fructus, modo sapore delectent et nutrire possint; sed longe gratiores sunt externis nostrates ac vernaculi, qui nobis ob propinquitatem gloriam quandam præter jucunditatem conferre videntur. Militiam exercuit, in qua locum admodum insignem tenuit, ita ut centum milites ejus imperio parerent: quodque animi virtute et corporis viribus præcelleret, cunctis inter ordines militibus præstantior habebatur.

Gordius Centurio fortissimus.

Acerba Galerii Maximiani persecutio.

3 Ea sane tempestate, cum tyrannus impius, qui tunc imperitabat, in Christianum nomen virus suę feritatis effunderet, manumque Deo inimicam adversus Ecclesiam exerceret, tota urbe præconis tuba sonabat, toto foro et per compita tyrannicum promulgabatur edictum, ne quis Christum adoraret: qui vero contra jussa faceret, morte plecteretur. Idola proponerentur adoranda omnibus, lapideaque ac lignea hominum simulachra, pro vero numine colenda: et si qui recusarent, extrema intentabantur. Confundebatur tota civitas, quę rei novitate attonita, tota tumultuabatur. Christianorum domus singulę vastabantur. Innocentium facultates diripiebantur. Fidelium et ingenuorum corpora, carnificum manibus discerpebantur. Matres familias per vicos trahebantur. Nulla juvenum commiseratio, nulla senum reverentia erat. Insones noxiis ac maleficis digna patiebantur. Complebantur supra modum carceres, domus

insignes et opulenti vacuabantur. Pleni saltus, plena per fugis loca deserta, ob unum tantum crimen, quod Christum colerent. Prodebat patrem filius: pater filium accusabat: frater adversus fratrem insaniebat: servus domino insultabat. Adeo diabolicis artibus hominum animi affecti tenebantur, ut velut in tenebris agentes, sese minime cognoscerent. Præter hæc autem domus orationis profanorum manibus vastabantur, arę sanctissimę evertebantur, nec erat oblatio ulla, nec thymiama, neque locus sacrificandi erat amplius relictus. Cuncta mœror ingens veluti diffusa caligo occupabat. Sacerdotum collegia fugabantur. Sacer omnis conventus cladem insolitam expavescebat. Dæmones vero tripudiabant, et nidore ac sanguine victimarum infecta cuncta dabant.

PER S. BASH.

Gordius secedit in desertum.

6 Hęc igitur exempla crudelia cum Centurio generosus conspiceret, judiciorum necessitatem advertens, abjecto militię cingulo, sponte sibi exilium delegit. Itaque relictis honoribus, relictis omnis generis facultatibus, servis, propinquis, amicis, voluptatibus et rebus aliis, quas ceteri maxime appetere ac magno studio parare solent, ad vasta deserta et hominibus in via loca contendit: vitam inter feras actam mansuetiorem societate ac convictu idololatrarum existimans, Elię prophete secutus exemplum, qui cum Jezabelis conspiceret impietatem quotidie invalescentem, in montis Oreb speluncam secessit, ac sese ab omni humana conversatione, ut Deum quaereret ac videret, abdicavit: vidit tandem, quantum fas est homini mortali. Eodem modo noster Gordius spretis omnibus, urbanos fugiens tumultus, fori clamorem, magistratuum ambitionem, tribunalium fastum, obtretractores, ementes, vendentes, pejerantes, mentientes, turpiloquium, facetias, et cetera, quę, velut alligatas puppibus cymbas magnę naves, secum populosę urbes trahunt; insuper visu audituque ac animo a vitiis purgato et libero, Deum ipsum contemplando videre metuit, tum magna discere mysteria, quę non ab hominibus, nec per homines fuit edoctus, sed magno usus præceptore Spiritu veritatis.

3. Reg. 19.

§ II. Redit Caesaream: ludos turbat.

Quamobrem secum meditans, quam sit fallax et inanis vita humana, quam omni somnio et umbra debilior et imperfectior, in supernę illius vocationis amorem exarsit, ac veluti fortis athleta, sese jejuniis, vigiliis, orationibus, perpetua et indesinenti Spiritus sancti oraculorum meditatione probe exercitatum, et ad certamen instructum animadvertens, hunc maxime diem observavit, in quo frequens civitas visendo equestri spectaculo erat intenta, quod hoc in loco ea tempestate in Martis, seu potius furentis bellorum dæmonis honorem celebrabatur. Populus omnis ex edito spectabat, nec ullus deerat, non Judæus, non gentilis, non item Christianorum multitudo, quę negligenter vivebat, et cum vanitatis concilio commixta sedebat, non declinans conventus malignantium, sed et ipsa tum equorum cursum et aurigarum agilitatem spectabat. Servi eo die ab opere liberi, pueri e scholis spectatum currebant, feminae prostitute ac ignobiles aderant: plenum erat stadium, et omnis jam turba consederat, equestre certamen videre intenta.

Ludi equestres in honorem Martis.

8 Tunc magnanimus ac fortis heros per montis clivum in theatrum properans, non populum horruit, non quam hostilibus se manibus traderet pensitavit; sed corde intrepido et animo excelso, quasi quædam continua saxa, aut arbores multas, eos qui circa stadium sedebant prætercurrens, in medio constitit stadio, complens dictum illud Proverbiorum auctoris: Justus ut leo confidenter agit. Quid plura? Adeo intrepido excelsoque animo fuit, ut cum in eminentiore theatri

Venit in medium stadium Gordius.

Prov. 23. 1.

PER S. BASIL. theatri parte staret, ingenti voce, quam qui audierunt extant adhuc aliqui, exclamaverit, et dixerit: Ecce inventus sum ab iis, qui me non quaerunt: his qui me non interrogabant, palam apparui. Quibus sane verbis se in eum venisse locum significavit minime coactum, sed ultro se ad certamen exhibuisse, Salvatoris exemplum secutum, qui cum per atram noctem minime videretur, se Judæis manifestavit. Omnium igitur oculos statim in se convertit. Erat enim ad spectum horridus, et quod montana diu incolerat, squallenti capillo, barba promissa, veste obita, corpore toto aridus, pera praecinctus, baculo innixus. Quae sane omnia horrorem quemdam vulgo adspicienti incutiebant, simul et eum illustrem magnopere reddebant. Ubi autem quis esset, cognitus fuit, gentiliū simul et Christianorum clamor est ortus; his quidem ob gaudium sui commilitonis exultantibus, illis vero qui repugnant veritati, iudicis animum ad ejus caedem accendentibus, et jam ad mortem condemnantibus. Igitur clamor atque tumultus omnia complebat: equos, currus, aurigas jam despiciebant: frustra rotarum stridor aerem verberabat: nullus aliud quam Gordium videre malebat: nullus quam Gordium verba sonantem audire studebat. Totum denique theatrum murmure, more venti per aera sonantis, perstrepebat, et equorum cursum superabat.

§ III. Judicis minas, et blanditias ridet.

Ubi vero per praenem silentium imperatum, conticuere buccinae, sopitae fistulae, varia musicorum instrumenta siluerunt, solus adspiciebatur Gordius, solus audiebatur. Hinc ad Praesidis tribunal, qui tum in eodem loco sedebat, certamenque instituebat, confestim adductus, et ab eo quisnam, aut cujas esset miti suavique voce interrogatur. Ubi vero et patriam, et genus, et dignitatis gradum quem tenerat, praeterea causam fugae ac reditus pariter enarravit: Reversus sum, inquit, palam ostendens, quod tua edicta nihil omnino curo, sed Jesum Christum spem meam, meumque praesidium profiteor: cumque acceperim te reliquos homines crudelitate superare, hoc sane tempus explendo meo voto, maxime idoneum sumpsi.

10 Hic sane verbis velut ignis ira Praesidis accensa, quidquid in eo furoris erat, in hunc subito convertit. Praesto sint, inquit, lictores, flagella, plumbatae: in rota extendatur, in equuleo torqueatur, suppliciorum instrumenta afferantur, bestiae, ignis, gladius, crux, barathrum paretur. Verum quantum lucri facit vir execrandus, cum semel tantum moriatur? Quin, inquit Gordius, damnus mihi facere profecto videor, si saepe variisque modis extinguere, variaque pro Christo pati supplicia nequeo. At ille his magis irritatus verbis, magis se laedi ac sperni ob talem loquendi licentiam existimabat, ac naturali ejus feritati vehementior accessit impetus: eoque truculentior fiebat, quo ille constantior in contemnenda poena videbatur; cum nulla tormentorum ratione, nullis armis a cepto proposito averti posset: quin in caelum oculos attollens, sacra psalmodum carmina decantabat: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Et rursus: Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et alia istis germana, quae de sacris promebat voluminibus, ad animum confirmandum, et in proposito perseverandum maxime facientia. Tantumque abfuit, ut intentatas horreret poenas, ut eas ultro in se provocaret, suppliciique moras vehementer increparet: Quid, inquit, tardatis? quid statis? Corripite corpus, membra frustatim caedantur. Denique quodcumque de me supplicium volueritis, sumite. Nolite mihi beatam spem invidere. Quanto enim magis tormenta angebitis, tanto majus mihi praemium comparabitis. Commercia sunt ista nobis cum Domino atque con-

tractus: pro vibicibus in corpore eminentibus, in resurrectione splendido induemur amictu. Pro contumelia atque ignominia, palmas coronasque assequemur. Pro vinculis et carcere, per ampla paradisi spatia laeti vagabimur. Pro accusatione demum atque iniqua condemnatione, gloriam ex Deo et Angelis referemus. Minae vestrae semina mihi sunt divina, unde immortalitatem perpetuaque gaudia metam.

11 Cum tandem vir beatus hac severitate a fide obstinata averti non posset, alia tunc via Praeses est aggressus. Illecebris et omni lenitate contaminare conatus est: cum praesertim diabolus hac uti soleat arte, ut timidus metu perterreat, fortes leniat atque palpet. Quod imitatus Praeses, ubi illum rebus terribilibus non flexit, dolis ac placabilitate circumvenire quaerebat. Quamobrem magna se daturum spondebat; quorum alia tunc haberet, alia Imperatorem daturum ei affirmabat, locum inter milites illustrem, facultates, opes, quidquid denique animus cuperet. At ille nec sic quidem victus, Praesidis insaniam ridebat, qui compensare dignum aliquid supernis sedibus existimaret. Impius ille tunc laxatis irae habenis, furore percitus, ense vagina diripit, lictorem coram ad stare jussit; et manu et lingua nefanda, ad viri damnationem se accinxit.

§ IV. Amicis iniqua suadentibus, pulchre respondet.

Ad tribunal omnis theatri multitudo convenit: reliquos vero populus, qui adhuc in urbe fuerat, prorumpens, ad hoc novum propeveravit spectaculum, quod et Angelis et universae creaturae fuit admirabile, luctuosum diabolo, ac daemionibus tremendum. Quid plura? Concurrentibus eo cunctis, urbs pene vacua facta est, fluminis instar tota incolarum multitudinem extra urbem ad locum martyrii confluyente. Matresfamilias, nobiles, ignobiles propeverant: domus sine custodiibus relictae, tabernae negotiatorum desertae, in foro venalia disjecta jacebant. Ex hoc tantum urbs tuta, quod omnibus extra moenia egressis, nemo intus remanserat, qui nefas aliquid perpetrare posset. Servi, ministerio neglecto, avidi spectandi erant: et quantum externi ac vernaculi populi erat, hoc loco apud virum illum aderat. Tunc etiam virgines virorum sese oculis objicere ausae sunt. Valetudinarii ac senes ipsi quoque extra muros contende-

13 In tanto itaque civitatis concursu, Beatum Gordium, alteram vitam jamjam per mortem corporis spectantem atque tenentem, necessariorum amicorumque turba circumstibat: amplectebantur, oscula dabant, demum flentes adhortabantur, ne sese in ardentibus flammis conjiceret, ne florem proderet juvenutis, aut aethereas auras solisque dulce jubar relinqueret. Nonnulli quando a fide omnino avertere non poterant, aut fas putarent, quibusdam enim verisimilibus aggrediebantur rationibus, et Christum tantum corde si cuperet retinere, ore autem negare suadebant. Non enim Deum verba, sed loquentis animum, inspicere. Hoc ferne modo exasperatum iudicis animum demulceri, et Deum nihilominus propitium posse reddi asseverabant. At ille tamquam cantes immota maris exagitantibus fluctibus, nulla vi, nulloque verborum impulsu quassatus, in obstinato ceptoque proposito inexorabilis permansit. Ut enim sapientis domum supra petram aedificatam, vis nulla ventorum, aut imber e caelo vehemens, nec torrentis impetus quassare potest; ita demum nec preces ullae, aut minae constantiam ejus in fidem Christi evertere potuerunt. Cumque mentis acie huc illuc circumcursantem diabolus, et ejus impulsu ac arte hinc lacrymas oriri, inde vim eloquentiae, suadendique copiam subministrari animadverteret, illud Domini verbum flentibus

Tentatur b' an-
ditiis, frustra.

Magnus con-
cursus ad ejus
tormenta spe-
ctanda.

Perniciosi
amicorum
consiliis im-
pugnatur.

Sistitur Prae-
sidi:

Subetur tor-
queri:

Psal. 117. 6.

Psal. 22. 4.
Ridet tor-
menta.

Luc. 23. 28

tibus ait: Nolite flere super me, sed flete super Dei inimicos, qui in Christianos continuo grassantur. Ipsos, inquam, flete, qui ignem nobis parant, sibi met gehennæ incendia, iramque in die iræ thesaurizantes. Desinite flere et affligere cor meum. Ego enim non semel tantum mori paratus sum propter nomen Domini Jesu, sed etiam millies si fieri posset. Aliis vero, qui Christum ore negare adhortabantur, respondit: Lingua quidem, quam Christi beneficio retineo, adduci non possum, ut suum neget auctorem. Corde namque credimus ad justitiam, ore vero confitemur ad salutem. Num militaris ordo desperatam habet salutem? Nullusne Centurio pius? Recordor primi Centurionis, qui cruci Salvatoris assistens, ejus divinitatem per prodigia facta cognoscens, non est veritus, adhuc Judæis furentibus in cæde, nomen ejus palam fateri. Quod enim animo sensit, id ore subito manifestavit: Vere Dei filius erat iste. Alius item Centurio, Christum adhuc in carne existentem, Deum et Regem virtutum esse novit, qui posset solo verbo opem suam per ministros spiritus egentibus adferre: cujus et fidem Dominus Israel universon prætulit. Cornelius item Centurio Angelum Domini videre, et per Petrum salvus fieri meruit, cujus Dominus preces, simul et elemosynas respexit. Horum igitur Centurionum libenter discipulus et imitator esse cupio.

Matth. 27. 34.
Matth. 8.

Act. 10.

Præclare ca
refutat.

Matth. 10. 33.

14 Negem ego Deum meum in cujus cultu sum educatus? Nonne horresceret cælum superne? nonne obtenebrescerent propter me sidera? An vero me tellus ullatenus sustineret? Nolite errare. Deus nequam irrideri potest. Ex ore nostro nos judicat. Ex nostris, inquam, verbis nos servat et damnat. Nonne tremendam Domini sententiam audivistis: Qui me negabit coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui in cælis est? Mihi consulitis, ut Deum nosse dissimulem? Quamobrem? Ut vitam prorogem? mortem differam? dies adiciam? At supernæ vitæ longævus perdam annos. An ut corporis cruciatu effugiam? At sic non videbo bona justorum. Nam iri perditum dedita opera, et fraude ac dolo sævas tartari penas mercari, manifesta insania est. Vobis igitur consulo: si male sapitis, sapientiam ac veritatem discite. Si vero dissimulatis, temporique obsequimini; vos hortor rogoque relicto mendacio, vera loquamini. Dicitis, quoniam Dominus noster Jesus Christus in

gloria est Dei Patris. Nam hanc vocem emittet lingua, quando in nomine Jesu omne genuflectetur, cælestium, terrestrium, et infernorum. Omnes profecto mortales sunt homines, martyres vero pauci. Ne expectemus ut mortui fiamus, sed a vita ad vitam transeamus. Quid naturalem mortem prætolamini? infructuosa est, nullius quæstus, communis brutis et hominibus. Quicumque enim nati sunt, aut senio tabescunt, aut ægritudine corporis resolvuntur, aut violento improvisoque casu aliquo concidunt. Quando igitur omnino semel e vita migrandum est, martyrium pro Christi nomine, ut semper vivatis, alacriter assumite, ac vitæ, quam omnino relinquere oportet, ne parcite. Sit pro necessitate voluntas. Quamquam etiamsi sempiterna essent terrena ista, nihilominus sic quoque pro cælestibus commutanda essent. Verum quoniam fluxa, fragiliaque sunt, et illorum comparatione magnopere indigna; quis furor in his invigilare, et illorum studio spem illam beatam, credentibus repositam, negligere?

PER S. BASIL.

Adhortatio ad
martyrium.

§ V. Generose pro Christo moritur.

Hæc ubi dixit Christi miles, crucis se signo communit, et animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad supplicium hilaris contendit: ubi tantam cordis præ se ferebat alacritatem, ut non lictorum, sed Angelorum manibus se committere videretur, qui subito post interitum, velut olim Lazarum, sublimem eum in cælum deferrent. Ad hæc tantus illius populi clamor ac tumultus est factus, ut vel tonante cælo nunquam similis sit auditus.

Crucis si-
gnum.

Gordii cædes
populi acclu-
matio.

16 Hoc igitur hujus præclari martyrii certamen fuit. Hoc hodierna dies spectaculum vidit: quod proculdubio tale est, ut nec temporis diuturnitas unquam abolere, nec longæ consuetudinis fastidium tollere, nec aliud quippiam quamvis magnum exuperare valeat. Nam quemadmodum solem quanto magis adspicimus, tanto magis eum admiramur, nec ullo modo assiduitate vilescit; sic et hujus viri sanctissimi memoria, quo majori eam temporis spatio retinemus, eo recentior in nostris animis floret. In memoria enim æterna justus erit: in terris quidem, dum terra durabit; in cælis vero apud æquum et altissimum judicem, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM; cui honor et imperium in æterna sæcula, Amen.

Æterna Mar-
tyris memo-
ria.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

THEOGENE, PRIMO, CYRINO.

SUB LICINIO,
III JAN.

Sanctorum horum Martyrum celebris est, ac præcipue Theogenis, in fastis Ecclesiasticis memoria in Janu. Martyrologium S. Hieronymi: In Hellesponto, civitate Paræthia, Cirici, Primi, Theogenis. ms. vetustissimum monasterii Rhinowiensis: In Hellesponto Cirici, Primi. Martyrologium Romanum: In Hellesponto sanctorum Martyrum Cyrini, Primi et Theogenis. Eadem Usuardus, nisi quod pro Cyrino Cyricum habet; ms. domus S. Cæciliae Leidæ Tiricum. At plurima mss. exemplaria, et quædam excusa, Diogenem pro Theogene, Menæa Theagenem.

Beda et Ba-
banus emen-
dati.

2 Beda: Et natale S. Theogenis Martyris, et S. Petri Martyris, in Tomis civitate natale S. Filii Episcopi, qui post alia tormenta in mare est mersus. Transposita sunt hæc. Lege: In Tomis civitate natale S. Theogenis Martyris, filii Episcopi, etc., et Petri Martyris. Sic et Hrabanus: In Tomis civitate natalis Titii Episcopi (imo Theogenis filii Episcopi) qui sub Licinio inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, carcere mancipatus, missus in cippo est, donec relatione esset responsus: dimissoque in mare delato corpore ejus in littore, a religio-

sissimis viris depositum est in villa Amandi religiosi viri, ubi fiunt curationes magnæ. ms. Martyrolog. Ecclesie S. Lamberti Leodii: In Hellesponto sanctorum Martyrum Cirici, Primi, et Diogenis, eratque recentiori manu adscriptum: qui sub tempore Juliani Imperatoris gladio martyrium compleverunt.

3 Martyrologium Usuardi Colonia editum auctius anno 1490. Item in Cyzico Hellesponti passio S. Diogenis Martyris sub Licinio Rege: qui post multas passiones tandem in mare projectus, a fidelibus honorifice sepelitur. ms. Florarium SS. In Hellesponto SS. Martyrum Cyrici, Primi et Diogenis. Passio S. Theogenis Martyris, qui cum militare nollet, palis fustibus cæditur: postea in carcerem mittitur, et a Domino confortatur. Tandem submergio adjudicatus, cum oraret per tres horas, facta est lux magna super eum, cujus fulgore nautarum et militum oculi sunt excæcati: sicque in mare præcipitatus illustre martyrium consummavit. Quod hic dicitur nautarum oculi excæcati, idem quoque habet Martyrologium Germanicum, atque visum deinde a sancto Martyre illis restitutum. Petrus de Natalibus lib. 2, cap. 41, ait postquam